

Dissertatio inauguralis medica de morbis haereditariis in genere ... / [János Procopius].

Contributors

Procopius, János.
Universität Erlangen.

Publication/Creation

Erlangae : Apud Jo. Diter. Mich. Camerarium, [1758]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fp5pemcu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(4)

DISSE^TRAT^IO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MORBIS
HAEREDITARIIS
IN GENERE

QVAM
SVMMI NVMINIS AVSPICIO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

F R I D E R I C O

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE CET. BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI CET.
CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO
ET TRIVM LEGIONVM ET COHORTIVM PRAEFECTO

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRO GRAD^V DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS IVRIBVS
AC PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

IOANNES PROCOPIVS
SZAKOLCZA HVNGARVS.

DIE OCTOBR. MDCCCLVIII.

ERLANGÆ
APVD IO. DITER. MICH. CAMERARIUM ACADEM. TYPogr.

M O R B I S
H A E R E D I T A R I I S
I N C E N E R E

L V C R E T I V S

de rer. natur.

L. III. v. 307.

Sic hominum genus est ! quamuis doctrina politos
Constituat pariter quosdam ; tamen illa relinquit
Naturae cuiusque animae vestigia prima ,
Nec radicitus euelli mala posse putandum est.



§. I.



Era quadam atque definita partium, massam sanguineam constituentium, proportione, humores nostros gaudere, nec vetustissimos quidem medicos latuit, quam illi, si a statu sano atque naturali non recedebat, temperiem adpellarunt. Quam ob caussam, varia etiam corporibus attribuebant temperamenta: quum a diuersa sanguinis temperie, varias quoque qualitates, humana corpora nanciscantur, quarum caussa, certo temperamento, praedita dicebantur. Et illae quidem primae seu simplices qualitates, ex eorum opinione, quatuor sunt: calidum, frigidum, humidum, siccum.

§. II.

Quae simplices seu primae qualitates (§. I.) quum solae, salua hominis vita, consistere in corpore non possent, ut recte HIPPOCRATES iudicasse videtur a); calidumque adeo humido, et humidum calido cet, mixtum atque temperatum esse oporteret:

A 2

quatuor

a) de veteri medic.

IV DE MORBIS HAEREDITARIIS

quatuor primaria temperamenta, ex primis illis qualitatibus, quae composita essent, veteres constituerunt medici. Nimirum, calidum et humidum, quod *sanguineum* vocarunt; deinde calidum et siccum, quod *cholericum* dixerunt; tandem, frigidum et humidum, cui nomen *phlegmatici* erat; postremo autem frigidum et siccum, quod *melancholicum* nuncuparunt.

§. III.

Sed, quum animaduerterent, quatuor ista temperamentorum genera (§. 2.) haud adeo vniuersalia esse, ut eorum vnum, cuilibet indiuiduo ita competenteret, vt ne latum vnguem, a simplicitate sua, recederet; summamque temperamentorum diuersitatem, in singulis propemodum hominibus, vidarent; alias adhuc temperamentorum species, quae ex prioribus quodammodo compositae essent, doctrinae caussa, excogitauerunt, vt sunt: *sanguineo-cholericum*, *sanguineo-melancholicum*, *sanguineo-phlegmaticum*. Quin, placuit nonnullis, multis competere hominibus temperamenta, quae ex tribus conflata commixtaque essent, vt, *sanguineo-cholerico-melancholicum*.

§. IV.

Displicuit equidem nonnullis, composita temperamenta (§. 3.) statui, propriea quod e diametro eadem sibi opposita essent, neque in uno eodemque indiuiduo stare possent, sic, vt, uno simplici posito, alterum necessario tollatur. Dicunt namque, si calidum et frigidum, humidum et siccum, simul consistere non possit: neque etiam fieri posse, vt unus idemque homo temperamenti v. gr. *sanguinei*, *cholerique* simul esse queat: illud si quidem humidi abundantiam, hoc autem eius inopiam inuoluat (§. 2.)

§. V.

Sed, si iusto sensu, composita temperamenta intelligamus: nihil huic sententiae absurdum inesse, quisque comperiet. Non illam fuisse huius opinionis auctoribus mentem existimo; vt, cum v. gr. *sanguineo-cholerico* temperamento, aliquem praeditum

ditum esse dixerint: cundem et abundare et egere simul humido, putauerint. Doctrinae huius ratio cum iusta, tum etiam omni ex parte veritati conueniens, illis fuisse videtur. Neque enim cogitandum est, primaria temperamenta (§. 2.), quatenus corpori humano conueniunt, certos adeo atque definitos habere limites; ut eos nullo unquam tempore transgredi, nullosque admittere gradus possint. Abundare quidem humidum potest cum calido: illud tamen, minori copia, quam in sanguineis esse solet, quin adesse possit, nihil est, cur dubitare debeamus. Si ergo humidum, minori, aut calidum, maiori, ac in sanguineis solis, copia adest, illo tamen paulo maiori, quam in solis cholericis, calore porro, abundante: tale temperamentum ex sanguineo atque cholericico mixtum dici potest; quum utriusque naturam, quadam parte, imitetur. Qua significatione, si caetera quoque temperamenta sumamus composita: omnis tolletur dubitandi occasio.

§. VI.

Tanto autem minus vulgaris illa medicorum opinio, de compositis temperamentis, aliena a vero videtur: quanto maioribus mutationibus, omnium hominum temperamenta, obnoxia esse putantur. Aetate enim, vietus ratione diuersa, vitae generis regionumque incolatu commutato, diuersis anni temporibus, et varia aeris coelique temperie, sexcentisque aliis, eadem mutari, qui inficietur, existimo fore neminem. Atque inde etiam factum est, ut certis hominum aetatibus, quaedam quasi propria temperamenta adscribantur; infantibus et pueris phlegmaticum, sanguineum iuuentuti, cholericum viris, senibus denique melancholicum; non, quod simplicia temperamenta ista, certis aetatibus, sine aliorum complicatione, adstricta essent; omnesque, qui, eadem aetate, sunt, iisdem quoque temperamentis gauderent; sed, quod, quibusdam vitae humanae temporibus, quaedam temperamenta manifestissima sint, caeterisque quasi dominantur. Quin imo eo usque, philosophando progressi sunt quidam, ut,

vniuersis nationibus, propria attribuerint temperamenta, veluti fuit SCIPIO CLARAMONTIVS CÆSENAS b) tametsi is, non tam de corporis, quam animae temperamento scripsisse videatur. Cuius non eam fuisse opinionem arbitror, vt eiusdem regionis incolis, ideam attribuat temperamentum stricte et absolute; sed, quod ad vnum temperamentum magis, quam aliae gentes, accedant. Visum etiam non nullis est, in sanciendis legibus, vniuersarum gentium temperamenta consideranda esse, id quod nuper etiam demonstrauit Cel. Montesquiou. c)

§. VII.

Hanc ob caussam, quum clarissimi medici, tam insignem, ac propemodum infinitam temperamentorum varietatem, propter tantam hominum dissimilitudinem, et singulorum individuorum singularem constitutionem, rerumque, quibus illa in varias species transformantur, multitudinem, viderent: tot fere temperamenta animo concipienda esse iudicarunt; quot mortales, in vniuerso terrarum orbe, vnuquam fuerunt, sunt aut erunt, cuiilibet individuo, proprium ac singulare temperamentum attri-
buentes d).

§. VIII.

Quum a sicco humidoque (§. I. 2.) fibrarum dependeat robur aut mollities: e) per se iam clucescit, temperamentorum notiones, non tantum ex fluidorum qualitatibus, sed etiam solidorum constitutione, eruendas esse. Quodsi itaque a certa quadam sanguinis qualitate, et solidorum tono, certa quoque omnium actionum functio, hinc totius corporis constitutio-
pendet:

b) de coniectandis cuiusque moribus et latitantibus animi affectibus, conf. Thomae Kennedy diss. de temperamento fundamento morum et morborum in gentibus, sub praefidio FRID. HOFMANNI, Halae 1705. ventilata.

c) in notissimo opere *Esprit de Loix*.

d) FERNELII Physiol. Lib. III. c. 3. p. m. 121. Io. GOTTOF. de BERGER physiol. medic. p. 109. HAMBERGERI physiol. medic. §. 49.

e) HAMBERGERI physiol. medic. §. 52. seqq.

pendet: tono fibrarum, et sanguinis qualitate mutatis, corporis quoque constitutionem omnem mutari, necesse est. Proindeque, quia temperamenta, tam variis a caussis diuersoque modo, mutantur (§. 6. 7.): ab iisdem quoque corporis statum praesentem mutari oportet.

§. IX.

Quum ex sanguinea massa, caetera corporis nostri fluida secernantur: sequitur, qualis est sanguis, talia quoque fluida ex eodem secreta esse oportere. Quamobrem, quia masculinum quoque semen fluidum est, ex sanguine originem trahens suam: semen hoc, imitari, quodam modo, debet qualitates sanguinis, ex quo illud secretum est.

§. X.

In hoc consentiunt medici, corporis temperamenta, per morbos mutari, id est, proportionem partium sanguinem constituentium, earumque mutuam in se solidasque partas, et vice versa, actionem, in aliam, quam ante morbum fuit, degenerare, aliasque adeo sanguinem adipisci qualitates. Quoniam igitur masculinum semen ex sanguine secernitur; ideoque similibus pacne qualitatibus massae sanguineae, praeditum est (§ 9.) intelligere hinc licet, si sanguis minime sanus est, sed omnino morbosae qualitatis; masculinum semen, vitiati sanguinis natum imitari. Quod ipsum pridem iam monuit Hippocrates. f)

§. XI.

Non hic disquiremus, an muliebre ouum, ipsa virilis seminis substantia, vel animali spasmatico, vel vero aura senimali, prolificum fiat atque foecundetur. Sufficere enim videtur, quandam seminis masculini partem, ad cui muliebris foecundationem concurrere. Constat porro, materno sanguine, toto gestationis tempore, foetum, in utero nutriri; arctissimumque nexum matrem inter foetumque intercedere, quem etiam Illustris de

HALLER

f) de morbo sacro Cap. III.

VIII DE MORBIS HAEREDITARIIS

HALLER, g) satis luculenter demonstrauit; vt adeo, qui hunc n^exum negare videntur, nihil aliud sentiant, quam, quod nouitatis studium redolet. Proindeque, quo pater aut mater, ipso generationis momento, temperamento gaudebat: idem quoque siue sit laudabile, siue morbosum, rudimentis concepti in utero foetus innascetur atque communicabitur.

§. XII.

Metuendum non est, vt ex hac sententia (§. 11.) sequatur, omnes homines eodem temperamento, esse. Quodsi enim, tam variis rebus, temperamenta mutantur, (§. 6. 7.), vt, ne uno momento quidem, eadem suique similia permaneant: facile hinc concipere licet, cur interdum liberos, diuerso a parentibus, corporis temperamento, esse contingat, variosque singulorum propriorum parentum liberos, diuerso et singulari temperamento gaudere videamus.

§. XIII.

Quoniam eadem fluidorum qualitas, liberis, per generationem, a parentibus traditur, qua ii, generationis tempore, gaudebant (§. 11.); et fluidae partes sunt solidarum nutrimentum: dubitare non licet, quin, per generationem, solidarum quoque partium, conformatio, robur, caeteraeque qualitates, a parentibus in liberos propagentur.

§. XIV.

Si ergo et fluidarum (§. 11.) et solidarum partium (§. 13.) qualitates, liberis tradunt, per generationem, parentes; a fluidorum vero mixtione ac temperie, a solidorum tono et conformatione, corporis illa constitutio, ob quam, homines, aut sani vegetique, aut valetudinarii sunt, dependet: fieri secus nequit, quam, vt talem corporis constitutionem, parentes, per generationem, liberis communicent, qualit ipsi, generationis, tempore, gaudebant, seu illa sana, seu valetudinaria fuerit. Quam ego quidem Haereditariam dispositionem in genere, adpellabo.

§. XV.

g) Praelect. Boerhaeu. Volum. V. part 2. p. 263. seq.

§. XV.

Experientia ipsa rei veritatem euincit. Sic, a robustis sanisque parentibus, robustam quoque ac vegetam sobolem, ab infirmis vero et valetudinariis, imbecillam progenerari vulgo videmus. Norunt etiam omnes, faciei lineamentorum, capillorum, barbae, oculorum coloris, totiusque corporis habitus similitudinem, liberos, a parentibus, plerumque accipere. Quin etiam, GALENI testimonio h), non solis parentibus, sed proavis etiam quibusdam, foetus redduntur similes; quod in primis in Afris Indisque manifeste conspicimus, quibus, nasus simus soleat, labia crassa et quasi inflexa. Cuius quidem rei ratio non alia esse videtur, quam haereditaria quaedam dispositio.

§. XVI.

Notum etiam in vulgus est, quasdam familias, aliis longe viuaciores esse, quasdam autem perpaucos numerare cognatos, qui longam vixissent aetatem. Hoc quoque a quibusdam animaduersum est: quod morbi aliqui benigni, sua natura, quibusdam familiis, maligni, imo lethales, euaserint. Haec omnia a dispositione haereditaria proficiunt, optimo iure, adfimare possumus; per quam, tam firmum robustumque corpus, a parentibus accipiunt liberi; ut, aut nullis grauioribus morbis tententur, aut superuenientes, facile vincant ac superent. Neque vero simile videtur, vitae tam longae caussam, certo vitae generi, aëris coelique elementiae optimaeque diaetae, vnice adscribendam esse: partim, quod, licet ad eandem familiam pertinentes, diuersum sequantur vitae genus, si haec viuax sit, paene omnes ad seram viuere aetatem soleant; partim, quod videamus, grauissimos, plerosque homines, in victu errores admittere, nihilo minus tamen non paucos, qui temperanter et moderate vixerent, aetate superare. Quamquam minime dubitem, quin, si eiusmodi homines, qui corpus ad vitam longam viuendam idoneum nacti sunt, temperantiae essent studiosiores: multo maiorem

B

aetatem

h) de Theriacæ ad Pisonem p. m. 115.

X DE MORBIS HAEREDITARIIS

aetatem possint attingere. Quapropter, dum in vitae robur, signaque ex illo petenda, inquirere iubet magnus ille BoER-HAVIVS, rectissime iudicasse videtur, i) e familia aegroti petendas conclusionum rationes esse.

§. XVII.

Non diffiteor, non semper contingere, vt parentes, similem sui sobolem progenerent: sed haec natorum et parentum dissimilitudo, non est sufficiens argumentum, ad negandam haereditariam dispositionem; quum liberi parentum similes esse potissimum soleant. Quod non tantum in hominibus, verum in brutis etiam animaduertere licet; maxime autem, si diuersae speciei animalia, generationis aetum exerceant. Cuius rei luctulentum praebent documentum, foetus, quorum parentes sunt diuersae speciei animalia, vt, muli.

§. XVIII.

Contra autem ea, varia exempla commonstrant, dispositionem haereditariam minus salubrem, ita saepe mutari posse; vt robustissimis parentibus prognati tales liberi videantur. Sed hoc, mutato vitae generi in melius, et exquisito vieti, atque adeo arti, adscribendum est. Nam communis docet obseruatio, et praeitura, et prouecta aetate, prognatos liberos, cum animo, tum etiam corpore, debiles ac effeminatos esse consuesse: nisi omnino, singulare corporis robur, parentes possideant, minus apta aetate, liberis operam nauantes. Ita quoque septimestres infantes, qui natura sua debiles ac infirmi sunt, arte atque industria, eximum saepe robur nanciscuntur. k)

§. XIX.

Atque talem corporis constitutionem, qua liberi, quoad statum sanum atque naturalem, similes sunt parentibus, dispositionem haereditariam naturalem, seu ad sanitatem, appellare possemus.

§. XX.

i) Institut. medic. § 947.

k) Vid. Illustris D. DELII Prof. Erlang. Fränkische Sammlungen Vol. I, part. 5. p. 463.

§. XX.

His ita constitutis, proximum est, ut ad ipsum meditatio-
nis meae argumentum, me conuertam. Quod tametsi tritum et
vulgare videatur: tot tamen opiniones de caussis et natura haer-
editariorum morborum, inueneris, quot auctores, in hoc argu-
mento, versati sunt. Quamquam igitur, qui de morbis haer-
editariis scripsere, et multi sint, et maxime inter multos auctori-
tatis: hoc tamen potissimum scribendi argumentum elegi, non,
quod satis conueniens rei tam arduae tamque difficili, quae
multorum clarissimorum virorum ingenia exercuit, genus scri-
bendi meum, existimem; sed, ut, partim laudabili maiorum
instituto, partim amicorum desiderio, satisfaciam. Ita autem
hac in re versabor, ut morbos haereditarios actu primum exsistere
demonstrem; deinde vero, naturam eorum caussasque, pro vi-
rium mearum ratione, exponam; ac prostremo ea, quae ad
diagnosin, prognosin, curationemque horum morborum pertinere
videntur, succinete breuiterque explicem. Quod ut bene ac
feliciter aedat, supremum Numen, sapientissimum iuxta atque
potentissimum naturae humanae rerumque omnium patrem at-
que auctorem, submissa deuotaque mente, veneror. Cuius au-
xilii spe atque fiducia fretus, ipsam iam rem, de qua scribere
decreui, adgredior.

§. XXI.

Principio itaque tractationis, esse morbos haereditarios,
in rerum natura, ostendendum est. Video namque esse quo-
dam, qui in contrariam senrentiam abeant; dubitentque adeo,
morbos haereditarios ullos esse, iis exceptis, quibus interdum
adfecti infantes nascuntur, quosue nos connatos dicemus (§. 40.).
Quorum argumenta ut refellamus, instituti nostri ratio po-
stulat. Quod quidem, tanto minoris, opinor, laboris futu-
rum est: quia aduersariorum argumenta, sponte quasi coruuunt,
vix certo stabilique aut rationis, aut experientiac fundamento
innixa.

§. XXII.

Ante annos non multos, praemii sollicitauit viros doctos et medicinae peritos Diuinionensis apud Gallos academia; ut certis rationibus doceant modum, quo morbi haereditarii propagantur. Lovisius itaque, nouae proponendi opinioni occasionem nactus, Gordium hunc nodum, ut quondam M. Alexander, ense soluit, morbis haereditariis in dubium vocatis, aut potius prorsus negatis ¹⁾). Cuius rei hanc primo adfert rationem: Experientiae refragari, ouo materno, in quo foetus rudimenta sunt, parentum morbos per generationem tradi. Id enim si verum esset: morbos et valetudinarii parentes, sanam et vegetam sobolem, progenerare non possent; neque coeci, surdi, gibbosи, incolumibus visus et auditus organis, decentique spinae conformatioне, praeditam.

§. XXIII.

Euidem non diffiteor, morbos parentibus, sanos liberos nasci posse; in primis, si aut pater, aut mater, optima fruebatur valetudine: ex eo tamen minime sequitur, nullos prorsus haereditarios morbos esse. Primo enim non semper ab utroque parente, sed plerumque, ab alterutro duntaxat, haereditariam dispositionem, liberi accipiunt: quoniam modo patris, modo matris externam corporis formam referunt. Deinde vero arte ac solerti educatione, corrigi potest interdum haereditaria dispositio (§. 18.). Ac postremo, si haereditaria dispositio inesse corporibus potest, sine conspicuis morbi alicuius indicis: verum quoque erit, valetudinarios parentes ingenerare posse liberis morbi sui semina ac principia; quamquam hi nunquam manifesto morbo eiusmodi laborauerint; si praesertim, omni ratione, caueant et prohibeant, ne morbosa dispositio, in veros morbos crumpat.

§. XXIII.

Quando autem ad coecos, surdos, gibbosos prouocat: non ea est nostra opinio, ac si semper parentum imaginem, exacte

¹⁾ Dissertation sur la question: *Comment se fait la transmission des maladies hereditaires* par Mr. Louis, a Paris 1749. 12.

exacte referre debeant liberi, eademque, qua parentes, morbi specie adfici, sufficit haereditarios morbos ad fines interdum esse solere. Porro meminisse oportuit virum doctissimum, morbos organicos, non confessim oriri, nisi externa iniuria visque accesserit: sed, tardo pede, fluidorum solidorumque vitia posse sequi. Ad haec sciendum est, non omnes morbos organicos tales esse, qui, per generationem, propagari possint: quia resecti nasi vel cultro effossi oculi, caussa, est vis externa, non interna morbo saque, quae in humoribus latere queat. Verum tamen eo usque dispositionem haereditariam morbosam procedere, ut etiam organicae partes videntur, non sine exemplo est: siquidem haud ita pridem, Illustrem D. DELIVM, vir iuuenis consuluit, qui iam notabili visus obscuritate affectus est, cuius pater senectuti adpropinquans coccus evasit, non ob actatis grauitatem, sed aliam caussam internam.

§. XXV.

Alterum Louisii argumentum est: *multos nasci homines, quorum parentes licet incolumes fuerint sanique, morbis tamen conflentur, qui falso pro haereditariis habiti sunt; adeoque meliori iure adquisitios, quam haereditarios, dicendos esse; quoniam ad morbos, qui vulgo haereditarii dicuntur, externae quoque causae concurrunt.* Nos autem duo hic monemus, primum est, ut probet aduersarius, eiusmodi parentes, ne haereditariam quidem dispositionem habuisse ad morbum, quo corum liberi corrupti sunt. Alterum vero est, ne quis existimet, eos morbos, qui haereditarii putantur, secus non, quam per haereditariam dispositionem, oriri posse.

§. XXVI.

Inquit porro, quum liberi iisdem parentibus prognati non semper eiusdem sint temperamenti: illos, non posse, suis liberis, ingenerare dispositionem morbosam. Sed vero vanitas hulus argumenti illico adparebit: si eorum, quae (§. II. 12.) dicta sunt, meminerimus.

XIV. DE MORBIS HAEREDITARIIS

§. XXVII.

Quod denique minus probabile ipsi videatur, haereditariam dispositionem, multis annis, sepultam ac quasi mortuam latere posse, absque ullius morbi vestigiis: profecto miror. Probe scire doctissimum aduersarium existimo, dispositionem haereditariam, ad caussas morborum remotiores, in scholis medicis, referri solere; eandemque adeo, per se propriaque sua vi, sine aliarum caussarum concursu, morbum producere non posse. Qui medicinam faciunt, experti adfirmant, scirrhos, plurimis annis, sui similes perseverare posse, neque in prava carcinomata degenerare. An igitur iure quodam negandum est, eos, qui scirrhum habentes, maligno carcinomate diuexati non sunt, dispositionem quandam ad cancrum non habuisse. Multae profecto sunt caussae, quas oportuno loco enumerare non intermittam, cur haereditaria dispositio, sero semet interdum, per morbum, manifestet; interdum vero plane in ncruum non erumpat; vtique, si omnes caussae procatareticae sollicite euitentur. (§. 18.)

§. XXVIII.

Illud autem perpendant, velim, qui in contrariam sententiam abeunt, foetum in vtero adhuc latentem, ipso materno sanguine, per vasa vmbilicalia, fluente ac refluente, nutriti. Si itaque mater, generationis aut etiam grauiditatis tempore, morbo aliquo laborauit, cuius praecipua sedes massa sanguinea est: fieri secus inequit, quam, ut materni morbi semina, per sanguinem, e matre, in embryonem, transeant. Prout autem hoc sanguinis, e matre, in embryonem, translati, vitium varii est generis: ita quoque infantes, aut citius, aut tardius, in maternum morbum, possunt incidere.

§. XXIX.

Solam etenim morbosam matrum dispositionem, non semper sequitur morbosa infantum natiuitas: vt infantes, morbo, materno ita affecti nascantur. Quodsi enim verum est, variolarum semina, a matribus, in liberos, transmitti; neque tamen omnes,

omnes, tēhera infantum aetate, variolas pati, sed interdum matura adultaque iam aetate m): facile hinc intelligere licebit, non semper, eodem morbo, adfectos infantes nasci debere, quo, conceptionis aut gestationis tempore, matres laborarunt.

§. XXX.

Nolo vetustorum et recentissimorum medicorum omnium auctoritatem allegare, qui, vñanimi consensu, haereditarios morbos statuunt: ne quis, praejudicatis opinionibus, me abruptum, ad vana praesidia confugisse existimet. Actum etiam me acturum fere putarem: si aliorum obseruationes, n) quibus morborum haereditariorum existentia confirmatur, ad stabiliendam sententiam meam repeterem. Hoc tamen minime praetereundum est, obseruationibus fide dignis constare, *haemorrhoides* e. g. aliasque *haemorrhagias*, *arthritidem eiusdemque species*, *berniás*, *venereum luem*, *scorbutum*, *calculum*, *phthisin*, *hecticam*, *melancholiā*, *maniam*, a parentibus, in liberos transiisse. Plura recensere superuacaneum foret. ILL. DELIVS obseruasse se retulit, *guttam rosaceam*, quae per matrem, quae e gente nata erat, in qua familiaris hic morbus fuit, in liberos diuulgata est. Idem porro curae suae commissos habuit infantes iue venerea adfectos, quorum parentes eodem vitio crant infecti.

§. XXXI.

m) Vid. D. STORCHII, alias Pelargi, *Abhandlung von Blatter Krankheiten* p. 40. seqq. IVNKERI Conspect. medic. theoretico-practicae p. 610.

n) ILL. STAHL dissert. de haereditaria dispositione ad varios adfectus §. 35. seq. §. 45. seqq. §. 76. STORCH *Abhandlung von Blatter Krankheiten* p. 40. Vid. ILL. DELII singularis obseruatio de morbo ad catalepsin accedente, in edit. II. dissertationis de catalepsi p. 20. seq. et Erlang. gel. Anzeigen 1751. No. XXVI. et XXXX. Porro FERNELII Pathol. Lib. V. c. 10. p. m. 55. CÆL. AURELIANI Morb. Chron. Lib. V. c. 2. p. m. 558. nec minus dissert. inaug. de secura morborum haereditar. praeseruatione, quam D.D. HILDEBRAND, praeside ILL. BUCHNERO defendit §. 23. nec non ALBERTI Lexic. medic. reale Tom. I. p. 197. Tom. II. 487. Eiusdemque Iurisprudent. medic. Tom. I. P. 2. p. 248.

XVI DE MORBIS HAEREDITARIIS

§. XXXI.

Postremo illud quoque sententiae meae fauere arbitror; quod maxima saepe similitudo, parentes inter atque liberos, cospiciatur; ut, uno eorum viso, alterum quoque nouissimum, videare. Si igitur faciei, capillorum, oculorum color, atque lineamenta, corporis vniuersi habitus et magnitudo, statura, mores denique ipsi, et animi inclinationes atque impetus parentum, in liberos, transferuntur: eo minus inficiandum est, morbosam parentum constitutionem, liberis inprimi atque ingenerari posse.

§. XXXII.

Quum itaque ex his, quae (§. 22. ad 31.) dicta sunt, luculenter adpareat, haereditarios morbos omnino existere: proximum est, ut ad eorundem caussam naturamque explicandam, ne conuertam.

§. XXXIII.

Propter eas itaque, quas superius recensui rationes, credo fore neminem, qui dubitet, liberos, parentibus, v. gr. phthisi, hectica, podagra, arthritide, etc. laborantibus, natos, ad eosdem morbos, quibus obnoxii erant parentes, plurimum propendere: quum id non modo rectae rationi non repugnet, verum crebra etiam experientia, atque observationibus fide dignissimis, confirmatur. Illam igitur corporis constitutionem, ob quam, parentum morbis, oportunissimi sunt liberi, Haereditariam dispositionem, eamque praeternaturalem seu morbosam appellabo. Cuius ut nunc causam et natales explicem, ordinis ratio postulat.

§. XXXIV.

Caussa autem morbosac haereditariae dispositionis, nihil fere differt, a dispositionis haereditariae, seu *in genere* (§. 14.) sumtae, seu *naturalis* (§. 19.) caussa. Ac proinde, quaerenda est, vel in vitiosis masculi humoribus, adeoque ipso eius semine, vel in depravata materni sanguinis conditione. Siquidem namque masculinum semen, ex ipso secernitur sanguine; ideoque similibus

libus sanguini qualitatibus praeditum est (§. 10.) intelligere hinc licet, si generationis tempore, pater valetudinarius sit, una cum semine, paterni morbi principia, in muliebre ouum, quod ab ipso foecundatum est, atque adeo in foetum ipsum, propagari debere.

SCHOL. Illud taceo, alios quoque morbos, a mare, in feminam, etiam sine generationis negotio, sub contagii cuiusdam specie, propagari posse; ut adeo matris sanguine, a patre infecto, idem vitium infoetum traducatur. Vti etiam matris vitia, per contactum, cum patre, communicari possunt: ut ideo, utroque infecto parente, morbi in foetum propagatio haud adeo difficultis videatur. Connexionem autem, quae matrem foetumque intercedit, negare velle, idem eslet, ac verum nexus inter utrumque tollere, quem (§. 11.), ut verum, adsumsimus. Ut adeo parentat, quid valeat recentissima clar. ROEDERERI opinio, hunc nexus negantis, in dissert. ad quam conscribendam, proposito ab Academia Petropolitana praemio, ineitus est, quaeque KRAVSIANAE adnexa est p. 56. ad 60. seq. vid. infra §. 50. conf. III. HALLERI primae linae physiolog. §. 857.

§. XXXV.

Quapropter, quum, per virile semen, maternumque sanguinem, paterni maternique morbi principia, in foetum ipsum transplantentur; adeoque embryones, paternae maternaeque morbosae constitutionis, participes reddantur; eademque haereditaria dispositio dicatur (§. 33.): eidens est, haereditariam dispositionem, non alia ratione, in liberos, transferri posse, quam per generationem, hincque, aut per semen virile, aut maternum sanguinem, quo concepti foetus, in utero nutruntur.

§. XXXVI.

Sed, age, videamus, in quonam morbosa isthaec dispositio haereditaria consistat, et, cuius naturae sit. Ad quam

C quod

XVIII DE MORBIS HAEREDITARIIS

quod quæstionem attinet: difficile equidem est iudicare, an ea *in solidis, vel fluidis partibus, reperiatur; partim, quum vi-deam, utrumque horum dubium suspectumque videri nonnullis, nostra actate, viris clarissimis; partim, quod, et solidarum, et fluidarum partium vitio, diuturnos ac pertinaces affectus, quorum numero, morbi haereditarii plerique habentur, oriri, et iudicio, et doctissimorum virorum cibseruationibus, constet.*

§. XXXVII.

Cuique notum esse opinor, prauam solidarum partium conformatiōnem, plurimis morbis, principia præbere posse, diuersis quidem, pro ratione male conformatiōnis partis solidae, cuius structura, naturali statui minime conueniens est. Itaque, quia solidarum quoque partium conformatiō et caeterae qualitates, in liberos, per generationem propagantur (§. 13.): intelligit quisque, si pater aut mater, morbo laborabat, a solidarum præcipue partium vitio dependente; morbosam istam solidorum constitutionem, liberis ingenerare parentes; atque adeo haereditariam quoque dispositionem præternaturalēm, solidis partibus inesse posse.

§. XXXVIII.

Pro ratione temperamenti corporis, varius quoque solidarum partium tonus, cum vitalis, tum etiam physicus, esse solet. o) Quia ergo quodlibet temperamentum, determinatum solidarum partium tonum inuoluit, vt adeo, quale temperamentum est, talem quoque solidorum tonum esse conueniat; parentes vero sui corporis temperamentum, liberis ingenerant (§. 11.): quis, queso, est, qui dubitare possit, si quo morbo, a vitiato solidorum tono dependente, generationis tempore, parentes conficitabantur; eundem quoque tonum fibrarum non bonum, liberis innasci posse? A vero igitur alienum non est: si statuamus, haereditariam dispositionem, solidis partibus, inesse posse,

cum,

o) b. Praeceptor HAMBERGERVS in Element. physiol. medic. §. 40. et ill. D. DELIVS Theor. toni.

cum, quatenus sunt male conformatae, tum, quatenus decenti atque naturali tono carent.

§. XXXVIII.

Tonus et vitalis et physicus, dupli vitio laborare potest; excessu, ac tandem defectu. Illum statum, stricturam seu rigitatem, hunc vero Atoniam seu laxitatem adpellant. Quodnam igitur horum vitiorum, haereditariam dispositionem, si ea solidis inest partibus, potissimum constituat, disquirere, erit pretium operae.

§. XXX.

Quum, pro temperamenti ratione, varius sit fibrarum tonus physicus (§. 30.); hicque praecipue ab humido solidarum fibrarum partium cohaesionem determinante *) dependeat: vero simillimum esse videtur, cum stricturam fibrarum, tum etiam debilitatem, a parentibus, liberis inprimi atque ingenerari posse; ut adeo certum sit, morbosum fibrarum tonum, posse haereditariam constituere dispositionem. Sic, plurimis constat observationibus, p) haemoptysin, fibrarum vasorumque pulmonalium debilitate seu atonia, natam q): quum debilia vascula, minima accedente occasione, qua pulmones extenduntur, rumpi possint.

§. XXXI.

Possunt tamen et humores male temperati haereditariam constitutere dispositionem; ut adeo fontem atque originem haereditariae dispositionis, in vitiata humorum conditione, quaerere possimus. Quodsi enim solidae nostri corporis partes, ex fluidis, in quibus solidae moleculae, solidorum fibras componentes, reperiuntur, suum trahunt nutrimentum: quid prohibet, quo minus credamus, in depravatis humoribus, haereditariam delitescere dispositionem; nisi haec, in mala conformatio[n]e, sita sit?

C 2

§. XXXII.

*) b. HAMBERGERI physiol. medic. §. 12.

p) D. SCHROEDERI dissert. sub praesidio Cel. KRÜGERI ventilata, de Haemoptysi haereditaria.

q) Ill. van SWIETEN Comment, in aphorism. BOERHAV. §. 26. p. m. 26. §. 44. §7.

XX DE MORBIS HAEREDITARIIS

§. XXXII.

Inconueniens equidem nonnullis eorum opinio videtur, quicunque haereditariam dispositionem, aut in humoribus male temperatis, aut in fibrarum tono praeter naturam constituto, atonia videlicet vel stricatura, ponunt. Ante enim, morbi haereditarii, haereditaria dispositione, illorum quidem opinione, orirentur, quam homo nasceretur, i. e. morbi exsisterent connotati: si in fluidis haereditariae caussa dispositionis reperiretur. Eadem vero si in deprauato solidorum tono lateret: multis annis, occulta esse haud posset; sed cito deberet morbos producere haereditarios.

§. XXXIII.

Verum, si, acriori iudicio, rem perpendamus: adparabit, num quid hoc argumento commoueri debeamus. Primo autem considerare oportet, dispositionem haereditariam sua vi, morbum nullum, producere vñquam posse: nisi etiam aliae caussae simul concurrerint. Deinde vero cogitandum illud etiam est, morbos haereditarios, ante aetatem, cui morbi tales proprii esse consueuerunt, vel finem eam praecedentis, rarius infestare. Quis enim vidit adeo frequenter, podagricum, aut arthriticum, aut phthisicum infantem: etiamsi is haereditariam ad hos morbos propensionem habere videatur?

SCHOL. Tametsi non dubitem, haereditarios morbos, illegitimos plerumque esse, hoc est, nec sexui, nec aetati conuenientes, imo ipse etiam statuam: tamen, certum quendam seruare ordinem videntur. Oriuntur enim tardius, quo moderatius vixit aeger: citius tamen, quam, sine haereditaria dispositione, contigisset. Et, si ante legitimam aetatem, semet manifestant: id tamen accidit sub finem aetatis eam praecedentis, cui morbus talis proprius est seu legitimus. Sic, podagra si legitimus est morbus: senes adfligit virosque. Eadem vero si haereditaria sit, adeoque illegitimus morbus: virilem atque etiam iuuenilem aetatem

aetatem infestat, ac praesertim illum iuuentutis terminum,
qui virili aetati proximus est.

§. XXXIII.

Si itaque haereditaria dispositio sola, nequit producere morbum; neque morbi haereditarii, ante certam aetatem, erumpunt (§. praeced. Schol.): sequitur, ut, siue haereditaria dispositio, in fibrarum atonia, siue in stricatura, siue in mala fluidorum temperie, consistat; ipse morbus propagari vix possit, priusquam superuererit aetas, morbo illi, ad quem haereditaria quaedam propensio ingenita homini est, propria, caussaeque accesserint, quae haereditariae dispositionis potentiam augeant, et latenter quasi morbum excitent. Quamobrem satis clarum cuique esse consono, solidis fluidisque partibus, haereditariam dispositionem inesse posse, latente etiam morbo; neque inde consequi morbos connatos oportere (§. 42.).

§. XXXV.

Placuit autem non nullis ex aduerso, in fibrarum teneritate, haereditariam dispositionem ponere. Quod ne vero quidem simile videtur: quum fibrae teneritas eius crassitiae opposita sit. Nam, quia cum aetate, uniuersum corpus, adeoque et fibrae increscent, ideoque crassiores etiam redduntur, carumque imminuit teneritas: si haereditaria dispositio, in fibrarum teneritate consisteret, tanto minus posset haereditaria dispositio in apertum morbum erumpere, quanto proiectioris aetatis homo est; quandoquidem, imminuta, propter ingrauescentem aetatem, fibrarum teneritate, morbi caussae vis atque efficacia infringetur.

§. XXXVI.

Neque haec sententia, cum veritate consistet: si teneritas fibrarum idem sit, quod exquisitus sensus. Experientia enim docet, exquisitissimo sensu, teneros infantes praeditos esse; quippe qui, et pulsu frequentiori gaudent, et a vermis vel difficultiori dentitione vexati, non raro conuulsionibus corripion-
C 3 tur,

XXII DE MORBIS HAEREDITARIIS

tur, quae ab hisce caussis, haud adeo facile, adultis continentur. Sed quum sensus isti paulatim cum aetate minuantur; ut in decrepita aetate obscurissime sentiant homines: deberet quoque, temporis longitudine, haereditaria dispositio imminui, ac tandem penitus deleri, idque in omnibus, sine via exceptione; quia eadem ubique est de crescentis haereditariae dispositionis caussa. Quod an obseruationibus virorumque doctorum adseritis respondeas, iudicent, qui omni vacant praeiudicio.

§. XXXVII.

His de haereditaria dispositione praemissis, haud adeo difficile erit perspicere, quid sint morbi haereditarii. Notandum autem praeterea est, caussas morborum remotiores duplices esse generis, mutantes alias, alias determinantes. Ad has, referunt etiam, in scholis medicis, haereditaria dispositio. Ac proinde morbi, quorum caussa remotior determinans est haereditaria dispositio, haereditarios appellauerunt.

§. XXXVIII.

Morbi, aut in utero iam infestare infantes incipiunt, aut non. Piores, connatos dicere liceat; posteriores autem non connatos. Horum autem caussa determinans, vel tradita est infanti in utero adhuc concluso, vel nata est, postquam in lucem iam editus esset. Illi haereditarii, isti autem adscititii dicendi sunt,

§. XXXVIII.

Quapropter naeui materni aliaque grauiora conformatio-
nit, in quantum morbi sunt, ad morborum connatorum potius,
quam haereditariorum classem referendi videntur; vtique, si una
cum homine nascuntur. Naeui enim materni, qui multo tem-
pore post erumpunt, illis fore locis, eoque tempore, quibus
idem contigit parentibus, quod a se animaduersum scribit PE-
LARGVS^{r)}, suo iure, dici possunt morbi haereditarii, iisque
cutanci.

§. L.

^{r)} STORCH alias Pelargus l. c. p. 41. n. 4.

§. L.

Iam a vetustissimis medicis, haereditaria dispositio adnumerata est, morborum caussis remotioribus. Nec sine ratione. Nisi enim aliae caussae, cum proctarcticæ, tum etiam occasio- nales accesserint: haereditaria dispositio, propria sua vi, morbum non inferet. Accidentes istae caussae tales esse debent, quæ dispositionem haereditariam adaugent, fluidas primo, dein so- lidas etiam partes corrumpendo; cum qua combinatae, imme- diatam morbi caussam efficiant. Nam, si, qui ad paternos mor- bos, proclives sunt, eam inierint vietus vitaeque rationem. quæ innatae illi gentilitiae dispositioni contraria est: morbus hic in herba quasi extinguetur, nec vñquam oriturus est, quem alias, proprie dispositionem haereditariam, metuere debebant.

§. LI.

Concurrunt autem, ad morbi haereditaria dispositione ori- undi productionem, cum omnes caussae naturales et non natu- rales; tum praesertim aetas, vitae vietusque genus et regionum incolatus. Scimus namque, certas aetates, quibusdam morbis maxime oportunas esse. Si ergo homo, et per aetatem, et vitae genus, regionisque, quam incolit, et aëris statum, ad eundem morbum propendet: fieri secus nequit, quam, vt inde, citissime existat morbus. Nam, quia res hæ morborum caussis accen- sentur: cum dispositione gentilitia, eaedem si fuerint coniunctæ, adeoque immediatam morbi caussam effecerint, morbum sequi oportebit.

SCHOL. Suspicor fore nonnullos, qui dicant, mor- borum, quos nos haereditarios dicimus, v. gr. podagras, phthiseos, hydropis caussam, rebus, quas recensuimus, po- tius, quam haereditariae dispositioni attribuendam esse. Verum tamen nouisse oportet, primo, non omnes illas caussas ad morbi haereditarii productionem, necessario re- quiri, sed interdum sufficere vnam, cum dispositione haereditaria coniunctam. Quamquam, si plures adhuc acces- sient,

XXIV. DE MORBIS HAEREDITARIIS

rint, morbus, et celerius oriturus, et saeuior futurus esse videatur. Deinde, si aetas, vitae genus, regionum et aeris conditio, tales morbos, sine ullis aliis caussis concurrentibus, inducerent: omnes illos, qui eandem degunt aetatem, idem vitae genus sequuntur, eandemque incolunt regionem, morbis iisdem laborare oporteret. Quod quum non fiat, nisi in morbis endemice et epidemice gravantibus: alia quaepiam caussa accedere debet, per quam illae, ad morbum inducendum idoneae redduntur, quae alia, hoc in casu, esse nequit, quam haereditaria dispositio.

§. LII.

Haereditarii morbi alii acuti sunt, alii chronici. Illorum numero habetur potissimum apoplexia, quo etiam rectulit Illustr. D. DELIVS catalepsin (§. 30.): dubium tamen non est, quin plures quoque morbi ex acutorum genere, huc pertineant, maximeque inflammatorii, quibus illos praesertim frequentissime laborare videmus, quorum parentes in huius generis affectus proclives erant. Quum etenim parentes, solidarum quoque constitutionem morbosam partium, seu illa in conformatione mala, seu tono minus naturali consistat, liberis ingenerent (§. 13.) solidarum vero partium vitia, ac in primis rigiditas, sanguinem condensando et coagulando, s) liquida ad stagnandum cogant t), atque adeo inflammationibus occasionem praebeant: euidenter liquet, morbos quoque inflammatorios, qui acuti sunt, haereditarios esse posse.

§. LIII.

Videtur equidem acutos morbos, in haereditariorum classem, minime referendos esse; propterea quod, acuto morbo conflictati, vix sint ad propagandam sobolem apti aut excitati: si tamen penitus rem inspiciamus, manifesto patebit, acutas quoque aceritudines, per generationem, propagari in liberos posse.

s) Illustr. SWITZEN Comament. in aphorism. BOERI, §. 52, n. 2.
t) ibid, §. 372.

posse. Sciendum namque est, parentes, non eo tantum tempore, quo morbo vexantur, sed etiam cum eo liberi ac immunes sunt, dispositionem ad morbum quandam habere, eandemque, sub hoc quoque valetudinis statu, liberis suis, ingenerare posse v). Quodsi ergo, eo tempore, parentes, liberos generint, quo in acutum quendam morbum erant proclives: eadem haec morbosa corporis conditio, in liberos propagari poterit.

§. LIII.

Solent praeterea morbi haereditarii ante iustum et congruum tempus, plerumque infestare homines (§. 43.); quin et illis molesti interdum esse, quibus alioqui, per temperamentum corporis, aetatem sexumque, minime conuenire videntur. Sic podagra est morbus talis, qui proprie competit masculino sexui, aetate senili, aut illi virilis aetatis termino, qui senectuti est proximus, temperamento denique cholericō: sed interdum feminas etiam, eunuchos diuexat x), ipsamque adoritur iuuentutem: y) si a haereditaria dispositione, natales suos duxerit. Quum igitur illos morbos, qui, aut sexui, aut aetati, aut temperamentis, non competit, incongruos adpellent medici: morbi haereditarii, parte maxima, incongrui erunt; quamquam, statuere videatur HIPPOCRATES, in podagram, incidere mulieres posse, a menstruorum defectione, aliisque caussis procatarcticis.

§. LV.

Ipse ego familiam noui, in qua quinque fratres germani numerantur, qui omnes, iam ante quadragesimum aetatis annum calui euaserunt. Filius fratris natu maximi, quamquam, cum adolescens adhuc esset, denso capillo et eleganti caesarie fuerit ornatus: vix tamen ad annum sextum atque vigesimum accedens, decrepiti instar senis caluescebat; non quidem, quod scio, pro-

D

pter

v) BOERHAVE aphorism. §. 1255.

x) D. FICKII Comment. in aphorism. Hippocratis Sect. VI. aphor. 28. 29. 30.

y) ILL. STAHL diff. de haered. dispositione ad varios adfectos §. 45. 46.

XXVI DE MORBIS HAEREDITARIIS

pter ingentes quosdam diaetae errores, sed potius, prout mihi quidem videtur, propter haereditariam dispositionem, a patre acceptam, et in vniuersa illa familia propagatam.

§. LVII.

Quanto autem grauior futurus est morbus a dispositione pendens haereditaria: tanto evidentioribus signis, iam anteecedentibus aetatibus, semet manifestat. Quod acutissimus STAHLIVS luculentis obseruationibus illustravit z); ideoque adseuerare non dubitauit, grauiores haereditarios morbos, in liberis, alios affectus prioribus adfines, praecedere consuesse. a) Ut adeo vel ex hoc capite, satis patescat, minus recte sentire eos, qui dubitant, haereditariam dispositionem, multis annis, occultam, ac quasi sepultam latere posse (§. 27.); neque illos, rem, acutetigisse, qui negant, haereditariae caussam dispositionis, humoribus, vel solidis partibus, nisi, in quantum sunt iusto teneiores, inesse posse (§. 42. et seqq.)

§. LVIII.

Sed ad ipsam iam morborum gentilitiorum diagnosin accedamus. Quae quamquam difficilis admodum habeatur; quam dispositio haereditaria, haud adeo evidentibus indicis, semet manifestet, maximeque, vbi nondum actuosa reddita est: attenta tamen mente, singula, quae, partim de dispositione haereditaria, partim de morbis haereditariis, commentati sumus, expendentibus, sponte quasi semet offerent diagnostica horum adfectuum indicia. In quibus quidem colligendis, tanto prudentiorem medicum esse oportet, quanto facilius, propter magnam similitudinem, cum aliis morbis, tum connatis, quam adscititiis, confunduntur.

§. LVIII.

Magni namque interest, certo cognouisse, an morbus sit haereditarius, vel alterius generis. Si enim, ut variae sunt morborum

z) Dissert de morborum aetatum fundamentis. coll. dissert. laudata de dispos. haeredit. ad varios affectus.

a) l. c. §. 44 seqq.

borum caussae, ut denique, morbi, natura et indole, a se in-
uicem discrepant: ita quoque variam esse curationis rationem
incundam, vniuersi medicinae auctores, iure quodam, con-
tendunt: quidni, et morbi ab haereditaria profecti disposi-
tione, aliam requirunt curationis rationem, quam adscititii;
quippe quorum caussae sunt diuersae. Si autem medicum, morbi
natura caussaque lateat: equidem non video, qui possit, legi-
tima certaque methodo, ad eundem aut mitigandum, aut ex-
tirpandum, vti. Quemadmodum itaque morborum omnium cu-
ratio, certam atque exactam morbi cognitionem, quoad eius
caussas, naturam, euentum, requirit: sic etiam necessarium est,
haereditariam recte nosse dispositionem; quo ita morbi genti-
litii curatio, medendi legibus conueniens institui, eiusdemque
futuri euentus, certo, aut coniectura quam maxime probabili,
praesciri possint.

§. LVIII.

Primo itaque, qui scire cupit, an hic vel alias morbus sit
haereditarius; inquirat, necesse est, in parentum constitutionem
illius, qui morbo illo conflictatur; parentum siquidem natura
cognita, ad deprehendendam liberorum indolem, plurimum
confert, FERNELIO, idipsum, caute et prudenter monente b).
Simul etiam sciscitari oportet, an parentes, eo ipso tempore,
liberos genuerint, quo, diuexati morbo sunt. Haec si ita se ha-
beant omnia: fieri potest, liberos, a parentibus suis, haeredita-
riam ad similes affectus dispositionem accepisse.

§. LX.

Aliunde iam constat, diuersum corporis habitum, variis
quoque morbis obnoxios reddere homines: quippe qui, pro
caussa morborum determinante, semper habitus est. Sic, ha-
bitu corporis gracili et macilento, collo oblongo, complanato
angustoque pectore praeditos, sanguinis sputum phthisinque me-
tuere debere, vetustissimi auctores iudicarunt. Quod etiam

XXVIII DE MORBIS HAEREDITARIIS

vsu atque experientia multiplici, comprobatum est. Quodsi itaque, eodem corporis habitu, liberi gaudent, quo parentes: suspicio non leuis est, eos in eosdem plane morbos proclives esse, quibus parentes laborarunt; atque adeo dispositionem habere haereditariam.

§. LXI.

Plurimum quoque confert ad certam haereditariae dispositionis cognitionem, temperamentorum consideratio. Quia enim corporis temperamentum, morborum caussa est determinans remotior: eodem si temperamento sint liberi, quo parentes erant, cum eosdem genuissent; in eosdem quoque morbos propensi sint liberi, necesse est, quibus olim illorum parentes exagitabantur. Quae in parentum morbos liberorum propensio, quoniam haereditaria appellatur dispositio (§. 25.): intelligit quisque, ex temperamentorum similitudine, si non certa atque evidentia, saltim valde probabilia, haereditariae dispositionis indicia petenda esse; in primis autem, quum corporis etiam temperamenta, per generationem, in liberos propagentur (§. 11.)

§. LXII.

Quamquam autem a temperamentorum similitudine, quae parentes liberosque inter obseruatur, ad haereditariam liberorum dispositionem, admodum probabiliter concludere liceat: (§. 61.) tamen, si dissimilia sint parentum et liberorum temperamenta, ut non raro contingit; negandum propterea non est, liberos, haereditariam dispositionem, a parentibus habere. Quia enim haereditarii morbi incongrui esse solent (§. 14.) dispositio haereditaria inesse potest liberis, paulo post, per morbum, semet ostensura; tametsi hi, alio corporis temperamento, quam parentes, praediti videantur.

§. LXIII.

In antecedentibus commemoratum iam est, certis aetatis, certa quoque attribui posse temperamenta (§. 6.) Ac proinde, quum parentes liberique, vitroque adhuc superstite, eadem

eadem aetate esse non possint: diuersis quoque temperamentis gaudere debent; aetas siquidem ipsa, temperamenta immutat. (§. cit.) Verum tamen in eo possunt conuenire parentum atque liberorum temperamenta: quod, quam proxime, ad se inuicem, similitudine quadam, accedant. Videturque eam esse solere temperamentorum rationem, parentes inter atque liberos: vt illi, cum ea aetate essent, qua eorum liberi sunt, eodem quoque temperamento gauisi sint, quo nunc liberi; itemque, si hi parentum aetatem attigerint, idem quoque consequantur corporis temperamentum, quo parentes eorum, simili aetate, erant praediti. Quae eo certius futura coniicere licet: si idem vitae genus sectentur liberi, quod parentes; sive simili vtantur victus ratione, eandemque incolant regionem aut ciuitatem.

§. LXIII.

Deinde aetatis etiam consideratio haereditariae dispositio-
nis diagnosin, multum illustrabit, reddetque certiorum: vt
etiam praesagire liceat, sed coniectura duntaxat probabili, quo
tempore, haereditaria dispositio, actuosa futura sit, verosque
morbos productura. Quod si itaque, liberi, eam attigerint aeta-
tem, qua olim parentes, morbo quodam, ad quem illi nunc
proclives sunt, diuexabantur: scire licet, eo tempore, non
modo gentilitiam adesse dispositionem; verum etiam morbos
inde oriundos iam imminere. Tantoque plus certitudinis iudi-
cium hoc habebit: si etiam corporis habitus atque tempera-
mentum, aliaeque occasione*ales caussae* simul conspirauerint.

§. LXV.

Quum, singulis aetatibus, singularia certaque tempera-
menta dominantur (§. 6.); certumque sit, morborum nonnullos,
certas potissimum aetas infestare solere, illisque proprios quasi
esse, quos ideo *aetatum morbos vocauerunt*, ipso HIPPOCRATE
praeceunte c), quem laudabili et egregio conatu sequutus est

XXX DE MORBIS HAEREDITARIIS

STAHLIVS d): dubium superest nullum, quin haereditaria dispositio, definita aetate, efficacior reddatur ad progenerandos morbos; seque adeo, manifestioribus signis, quam alias, cognoscendam praebeat.

§. LXVI.

Quamquam autem morbos, a dispositione haereditaria, profectos, plerumque incongruos esse consueisse, obscurationibus fide dignissimis, luculenter constet (§. 54.): non tamen prius in apertas flamas, latentes illae haereditarii morbi scintillae erumpunt; quam, si proxime accesserit hominis aetas, illi aetati, cui morbus hic proprie competit.

§. LXVII.

Obseruare praeterea iuuabit, num adfines morbi, in teneriori aetate, adparuerint, qui sint quidam quasi venturi morbi haereditarii nuncii. Hoc si animaduersum fuerit: habebimus nouum, idque haud leue, haereditariae dispositionis indicium. Quia de caussa, adposite iudicasse videtur STAHLIVS e) dicens: *omnes aetatum morbos veros, haereditarios simul esse.* Multo autem vero similior cognitio erit: si etiam certum atque exploratum sit, eosdem adfectus parentes perpessos esse, cum eandem vixissent aetatem. Quam in rem sedulo inquirere, boni medici est.

§. LXVIII.

Videndum tandem est, si quis haereditariam dispositionem certo cognoscere velit, an liberi, eidem vitae generi, cui parentes, dediti sint. Si enim, cum parentibus, simile *vita* genus sequuntur liberi, simulque exploratum est, liberos, certo quodam morbo conflictatis parentibus, prognatos esse: colligere ex eo licet, liberos, in parentum morbos, per haereditariam dispositionem, proclives esse.

§. LXIX.

d) de morborum aetatum fundamentis.

e) laudata dissert. de dispos. haereditaria ad varios adfectus §. 42.

§. LXVIII.

Quantum vitae genus, siue ad concipiendos fouendosque, siue ad profligandos morbos quoscunque, possit et valeat: nulla, ut opinor, demonstratione, eget. Constat etiam inter omnes, parem esse, cum vitae genere, temperamentorum rationem; vt illo commutato, temperamenta quoque, a priori sua indole degenerent (§. 6.). Ex quo quidem, hoc planissime consequitur, eodem seruato vitae genere, eadem etiam perseverare corporis temperamenta: vtique, si caetera etiam sint paria. Necesse itaque est, candem etiam immanere corporibus dispositionem, quam, per generationem, a parentibus, acceperant liberi: si hi, simili vitae generi, cum parentibus, dediti sint. Contra autem ea, hinc eluescit, si liberi aliud vitae genus elegerint, quam parentes: fieri posse, vt innata illa haereditaria dispositio, sensim deleatur et evanescat; aut certe ita eneruetur, ne vñquam in apri-
cum prodire, morbumque producere possit. Quare, vitae quoque generis similitudo, haereditariae dispositionis signum, sit, oportet.

§. LXX.

Postremo, iuuat etiam nosse, an parentum morbus, certum duntaxat sexum vexare soleat, vel utrique sexui esse communis. Si enim prius esse constet: liberi alterius sexus, quam erat parens morbidus, parentis morbo obnoxii non erunt. Sic, si mater, gestationis tempore, fluore albo, infestabatur: filius quem tum utero gerebat, nequit eidem morbo obnoxius esse, quippe qui feminino sexui vnicet competit; quamquam contigere possit, vt is, in alias morbos gentilitiam propensionem nanciscatur, qui masculis quoque sunt familiares, quiue cum fluore albo sunt adfines, e. g. In cachexiam, scabiem cet.

§. LXXI.

Itaque si parens morbidus, liberique ab eo geniti diuersi sint sexus; et parens morbo laboravit, qui alteri sexui est incongruus, aut plane inconueniens: tum etsi liberi non habeant dispositionem

XXXII DE MORBIS HAEREDITARIIS

positionem ad parentis morbum; tamen ad alios morbos, qui parentis morbo adfinis sunt, proclives possunt esse. Pater podagricus, filiam genuit, corporis habitu externo temperamentoque sibi simillimam. Quae, licet podagra immunis viueret: multum tamen arthritide diuexabatur. Cuius filia, vix vice-simum aetatis annum ingressa, articulorum dolore discruciabatur. Vnde liquet, si non eundem plane specie morbum, parentes, liberis suis ingenerant: eosdem tamen, ad finium morborum semina, liberis, relinquere posse.

§. LXXII.

Ex quibus adparet luculenter, quam cautum esse medicum, in iudicando, oporteat: si nosse velit, an hic, vel alter aegrotantium, haereditariam in quosdam morbos propensionem habeat. Vni enim alterius signo, fidendum non est: quia secus, praetiudiciis occupari, veritatem non perspicient. Tanto vero proprius ad certitudinem, et indubiam veritatem, iudicando accedemus: quanto plura signa, paulo ante quae recensuimus, vni eidemque aegro conuenire deprehendimus,

§. LXXIII.

Inutile profecto non est haereditariam dispositionem, certis cognouisse indiciis. Tutius esse existimo, imminentem morbum auertere, oriri ne possit; quam, tum demum de eo extirpando sollicitum esse, cum iam praesens corpora adfligit. Quodsi haereditariam dispositionem, mature, et, antequam confirmata in neruum erumpere posset, medicus cognoverit: impedire potest, quo minus morbus inde nascatur, quem metuit, partim medicamentis, partim adcurata diaeta, gentilitiam oppugnando dispositionem; in primis, si, et aeger, et amici eius, suo satisfecrint officio. Quantum hic valeat prudens ac sollicita liberorum educatio, ad auertendos morbos, facile quisque iudicabit: quin etiam patet, quantum incommodi, ex prava educatione, in liberorum cum animum, tum etiam corpus, redundet. f)

§. LXXIII.

f) CL. KRUGER Gedanken von Erziehung der Kinder.

§. LXXIII.

Iam itaque facile quisque intelligit; cur non omnes, qui, valetudinariis nati parentibus sunt, laborent morbis, quorum semen atque caussam, per generationem, a parentibus, communicata, intus fōuent, quie ideo, haereditariis morbis, propter quandam in eisdem propensionem, obnoxii sunt; vt adeo dispositio haereditaria, gentilitios morbos, ineuitabili quadam necessitate, non producat. Scilicet, si viētus omnesque diaetae rationes ita instituant; vt singula, quae eandem, cum dispositione haereditaria, morbos producendi vim atque potestatem habent, quaeue adeo, haereditariis morbis, suppeditant occasionem, fugiant: haereditaria dispositio, ad generandos morbos, inert et impotens manebit. Quod si obseruent homines: nunquam caussa exsistet immediata (§. 50.); ideoque neque morbus suboriturus est; tametsi ad eundem concipiendum quaedam insit corpori aptitudo atque propensio.

§. LXXV.

Inde etiam perspicimus, qui fiat, vt, latente in liberis haereditaria dispositione, nullum interdum isti incommodum sentiant: quae tamen, in *nepotes*, per generationem, translata, hos demum adfigat; tamque diu occultatae morbi scintillae in apertas flamas erumpant. Quod a quibusdam obseruatum dicitur, et BOERHAVIVS aperte statuit g). Si namque liberi, quibus innata quaedam ad concipiendos parentum morbos, propensio est, optimam sequantur viētus et diaetae rationem; neque utilia remedia chirurgica, pharmaceutica, oportuno tempore et conuenienti methodo, in auxilium vocare intermittunt: immediata morbi caussa exsistere nequit. Gentilitia itaque dispositio, nullis accendentibus, quibus irritari, et ad inferendum morbum, prouocari possit, quieta manet; neque omnino filiorum valetudinem perturbat. Nepotes, quibus, licet eorum parentes mediocri valetudine vterentur, nihil minus innata im-

E

pressaque

g) *Aphorism. de cognosc. et curandis morbis.*

XXXIV DE MORBIS HAEREDITARIIS

pressaque haereditaria dispositio est, crebris in vietu erroribus, prauaque diaeta, si prauam humorum temperiem sibi accersuerint, quae cum haereditaria dispositione, immediatam morbi caussam constituat: inhaerens illa, tacitaque in filiis, gentilitia dispositio, facile auitos morbos progenerabit.

§. LXXVI.

Imo intelligere quoque possumus, cur interdum citius, interdum vero serius, morbi haereditarii propullulent. Quod quidem fit, propter peculiare vitae genus variumque viatum. Quo enim grauiores aduersus leges diaetac errores committunt ii, qui haereditaria labi infecti sunt, quoque citius ad hoc vitae viatusque genus se transferunt: eo quoque celerius haereditaria dispositio erumpens, morbum inducit gentilitium; eumque pro peioris vitae generis ratione, peiorem et curatu difficiliorrem. Huc spectare videtur HORATII illud:

*Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox datus
Progeniem vitiosiorem.*

§. LXXVII.

His si quis signis (§. 59. seqq.) certam haereditariae dispositionis diagnosin sibi comparauerit: ei haud adeo difficile erit cognoscere, an iste vel alias morbus sit haereditarius, aut minus. Cum morbo namque praesenti, eiusque natura et ad parentibus symptomatibus, ac denique, cum dispositione aegri haereditaria, suis primo signis, detegenda, si comparatio instituatur: prudens medicus, ex cognita caussa, ad praesentem effectum facile argumentabitur; perspectaque, inter hasce res, aut similitudine, aut dissimilitudine, an morbus praesens sit haereditarius, vel secus, haud aegre intelliget.

§. LXXVIII.

Enim vero, morbus, quo filius laborat, aut est idem cum illo morbo, quo laborabat parens, aut omnino diuersus. Hoc si verum est: filii morbus aut habet adsinitatem quandam, cum parentis

parentis morbo, aut nullam. Si filii morbus eius est speciei, cum parentis morbo; aut si filii et parentis morbi sunt adfines; ac denique, si, euidentibus signis, constat, filium, haereditariam dispositionem a parentibus acceptam habere: dici iure potest, haereditarium filii morbum esse.

§. LXXVIII.

Caeterum, nouisse oportet, omnes haereditarios morbos, difficillimae curationis esse. Sunt enim aut acuti, aut chronicī (§. 52.). Acuti, aut cito perimunt aegrotantes: aut, nisi vitae vis artisque auxilia potentiora sint morbo, in alios degenerant morbos, cosque chronicos v. gr. apoplexia, in paralysin, inflammatio, in scirrum, in pus. Neque praetereundum est, acutos morbos haereditarios, etiamsi felici euentu terminati sunt, plerumque reuerti, propter remanentem ad eosdem dispositio- nem, qui postremo perniciales sunt futuri.

§. LXXX.

Nouimus etiam, chronicos adfectus aegerrime cedere re-mediis, etiam potentissimis. Tanto ergo plus laboris opera eque haereditariorum morborūm sanatio requirit, quorum pars maxi-ma ad chronicos pertinet: quanto magis haereditariorum mor-borum caussae atque adscititiorum, a se inuicem dissident. Te-statur id frequens medicorum obseruatio, qui, quanto quamue difficulti labore, eiusmodi aegritudines, non dicam tollantur, sed mitigentur tantum, experti sunt.

§. LXXXI.

Nunquam etenim haereditarius morbus radicitus extirpa-bitur; nisi prius sublata fuerit haereditaria dispositio (§. 45.). Quod quidem propemodum fieri non posse videtur: siue solidis, siue fluidis partibus, haereditaria dispositio innata sit. Qua re etiam factum est, ut plerique viri docti, haereditarios morbos, perfecte sanari posse negent, aut certe dubitent; maxime, post-quam in vetustatem iam incidissent, temporisque longitudine, essent confirmati.

XXXVI DE MORBIS HAEREDITARIIS

§. LXXXII.

Ea enim si solidis inest partibus, sive, quoad conformatiōnem vitiātam, sive, malum fibrarū tonū, maxima vi, corporib⁹ adhaerescit. Mala conformatiō emendari nequit, in primis, si mali principi⁹, conuenientia remedi⁹ adhibita non sunt; temporisque adeo vetustate, solidae partes male conformatae, ita roboratae sunt, vt nulla fere vi aut arte, flecti possint. Quod eo difficiilius, si vñquam succedit: si partes male conformatae interioribus in ventrib⁹ delitescunt. Quanto labore taedioque aegrotantium, tonus fibrarū immutetur atque emendetur, maximeque is, quem *physicu⁹* adpellant; difficilis molestaque cacheziae, hydropis, aliorumque morborum, quorum cauſa est deprauatus fibrarū tonus, curatio, manifesto est documento. Quodsi igitur adscitius malus fibrarū tonus, aegerrime corrigitur: quanto difficiilius, remediis cessurus est haereditarius morbus, cuius cauſa, tenerimo embryoni, in utero adhuc impressa est; quiue adeo crescente in dies malo, quodam modo, alteram hominis naturam constituit?

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

§. LXXXIII.

Si autem eadem, in ipsis haeret fluidis: pars eius est ratio. Quanto subtiliores sunt morborum cauſae: tanto, non modo difficiilius tolluntur; verum etiam, corporib⁹, sine conspicua valetudinis laesione, diutius immorantur. Quod in rabie canina, peste, venerea lue, aliisque morbis non paucis experimur. Omnes, hydrophobiae, pestiferae venereaeque luis et variolarum subtilitatem admiramus: multique viri docti, in cognoscenda horum morborum materia eiusque natura ac indole, operam suam, magis fortasse laudabilem, quam proficiam, collocarunt. Id saltim, ex effectibus eius, legitimo ratiocinio, innotuit, materiam illam subtilissimam esse oportere.

§. LXXXIII.

Idem fere ut de natura haereditariae dispositionis, quae humorib⁹ inest, credam: cius propagandi ratio, quae, per genera-

generationem fit, magnopere suadet. Quum etenim haereditaria dispositio, per masculinum semen, in liberos diuulgetur; (§. 35.) nec prius, gentilitia dispositio vim suam exferat, quam, multis demum elapsis annis, ut plerumque fit, aliisque caussis concurrentibus: necesse est, vitiosam fluidorum qualitatem, in qua, haereditaria dispositio consistit, quaeve ex masculino semine, in foetum redundat, valde subtilem, ideoque aegerrime mutabilem esse. Quae materia nisi talis, qualis iam diximus, esset: aut cito morbum induceret, aut illis mutationibus, quae cuiuslibet aetatis ingressu, in corporibus, contingunt, vis atque indoles eius perderetur.

§. LXXXV.

Qualiscunque autem vitiosa illa humorum qualitas sit (§. 84.), siue acrimonia, siue spissitudo, siue quaedam acris et spissi complicatio: aegerrime tolletur inde profecta dispositio gentilitia. Acrimonia, spissitudo sanguinis, qualis in primis in chronicis passionibus esse solet, difficulter alteratur; quia facile, nisi cautus sit medicus, ultra, quam par est, vitiosam sanguinis qualitatem alterando, ad oppositum extremum perueniet. Idque tanto contingit facilius, magisque est metuendum, vbi duo ista vitia, acre et spissum, simul coniuncta sunt: quum, uno oppugnato destructo que, alterum augeri semper fere oporteat; vt, resoluta, per salina, viscedine, augeatur humorum acrimonia.

§. LXXXVI.

Morbi adscititii chronicci, quodsi in principio, aut negliguntur penitus, aut imperite prauaque methodo tractantur; sicque inueterati, altius iam radices egerunt: tandem in consuetudinem abeunt, quos ideo *habituales* dixerunt. Hos perfecte sanare, cumque radice extirpare, acque difficilis negotii res est. Quod si iure meritoque de morbis adscititiis statuitur: quis, quaeſo, est, qui dubitet, idem quoque de haereditaria dispositione, morbisque inde oriundis, dicendum esse; postquam,

XXXVIII DE MORBIS HAEREDITARIIS

longo tempore, corporibus inhaerens, et in dies velut quod-dam fermentum, multiplicata latiusque serpens gentilitia dispo-sitio, consuetudinem habitumque hominibus induxit.

§. LXXXVII.

Observationibus fide dignis constat, debellatos quidem morbos haereditarios interdum esse: h) si tamen aegri ad priorem victus rationem, qua, haereditaria dispositio, quasi irritatur, quaeve adeo illi occasionem praebet, priorem repetendi fabulam, reue:si sint, sotipos iam dum morbos, iterum reuixisse. Quod certe vix fieri posse videtur: nisi, morbo tantisper percurato, haereditaria dispositio, vtpote illius caussa, constans corpori inhaesisset. Ac proinde, quum satis pateat, dispositio-nem haereditariam, si in vetustatem abiit, tolli vix posse: sponte sequitur, morbos quoque haereditarios perfecte sanari vix posse. Cuius sanandi difficultatis caussa, an sit in arte, vel artifice, vel in aegris salutaribus praceptis minus obsequentibus, intelligere non est difficile. Certe, aegrorum morositas, impatientia, mol-lities, plurimum obstatre solet morborum sanationi: vt medicus, omnia ex lege optimaque medendi methodo, select si:nisque remediis, instituens, nihil tamen quidquam proficere possit.

§. LXXXVIII.

SCHENKIVS quidem, viri triginta annos nati, et arthritide vexati, vt ille ipse memoriae prodidit, haereditaria, histo-riam recensens, eum, ex integro, morbo isto liberatum esse, opi-natus est: eo quod, instituta trimestri curatione prophylactica, aeger, viginti annos, arthritide immunis vixerit. i) Ego autem, pace tanti viri, vehementer dubito, ex salutari optatoque tri-mestrī curationis prophylacticae euentu, certo colligi posse, morbum, perfecte, seu, vt auctor inquit, ex toto, id est, cum sua caussa, dispositione haereditaria, sublatum esse. Enim vero
satis

h) Ill. van SWIETEN Comment. in Aphorism. Boerhav. T. III. §. 1080.
p. m. 436.

i) Observat. medicarum rarar. Lib. V. Obs. 156. p. m. 379,

satis clare, historiae illius auctor, caussas antecedentes exponit, cum praedisponentes, tum etiam procatarcticas, ut sunt, vitae genus luxuriosum, quieti otioque deditum, animus ad iram propensissimus. In subsequentibus autem, nihil eorum commemorat, an, trimestri absoluta medicatione, aeger a prioris vitae generis prauitate destiterit, vel minus. Arbitror tamen, et medicum, aegrum suum, ad temperantiam diaetamque meliorem cohortatum esse; et aegrum, salutaribus medici consiliis locum dedisse. Hoc si ita, ut opinor, factum est: mirum non est, aegrum illum, viginti annis, liberum et immunem arthritide vixisse; quanquam dispositio haereditaria sublata non sit (§. 27. 43. seq. et 50. seq.); adeoque, nec arthritidem illam ex toto ac perfecte sanatam esse.

§. LXXXVIII.

Plura alia exempla prostant, quae docent, haereditarios morbos, exquisito vietu, et debita vitae ad verae diaetae regulas compositione, deinde utilium quoque remediorum legitimo usu, superatos esse; ab hisque, immunes liberosque, tamdiu mansisse aegros, quoad salutaribus medicorum consiliis obsequerentur. In quo proposito, si constantes persistenterunt: nunquam quidem reuertebatur morbus; . quum haereditaria dispositio, nullam haberet valetudinem turbandi occasionem: proximam tamen potentiam, ad reuocandos priores morbos, quae in haereditaria dispositione consistit, remansisse, illorum exemplis, confirmatur, qui, spretis saluberrimis consiliis, priori vitae generi immoderato, semet tradiderunt. Quod certe, non in morbis tantum gentilitiis, verum ad scitiis etiam, maximeque chronicis et habitualibus, medicinam facientes experiuntur.

§. LXXX.

Quae haec tenus (§. 79. seqq.) diximus: ea docent, quid in morbis haereditariis praesagire debeamus. Iam itaque ad curationem digrediamur. In cuius tractatione, haud adeo propria erimus: partim, quod methodum his morbis medendi universalis

XL DE MORBIS HAEREDITARIIS

uersalem duntaxat, proponendi animus sit; partim etiam, quod, magna cum laude, hoc in argumento, ante nos, alii versati sint.

§. LXXXI.

Sciendum itaque est, morbi haereditarii, ne oriantur, impediri posse. In quo, curatio prophylactica seu praeservatoria consistit. Sed, si extirpantur ii, dicimus hanc curationem curatorm, quae duplex est: perfecta et imperfecta, seu radicalis et palliativa, quarum prior, sanatio recte dicitur. Consistit enim illa, in perfecta morbi caussae extirpatione: haec autem, in sola symptomatum maxime urgentium mitigatione, in qua morbi causa vix attingitur.

§. LXXXII.

Curatio prophylactica (§. 91.), in eo consistit, si impediamus, quo minus immediata morbi caussa, adeoque morbus ipse, existere possit. Absoluitur itaque, primum, legitimo rerum non-naturalium usu, aeris, potus, cibi, quietis motusque et animi affectuum; deinde vero naturalis oeconomiae animalis status conseruatione, in primis, quae ad secretiones et excretiones pertinet. Quem in finem, utiles erunt atque necessariae, euacuationes, oportuno tempore, et prudenter instituendae, purgatio, sudor, venae sectio. Nec minus iuuabit, viscera chylum praeparantia, medicina roborare: quo rite concoquunt alimenta. Si enim ventriculus, intestina, hepar, suo munere, rite funguntur: nec cor, nec caetera viscera, suo officio facile deerunt; in primis, si caeterae etiam res, recte adhibeantur in usum. Prout autem varii sunt haereditarii morbi, eorumque dispositiones: ita etiam diaeteticae regulae, gentilitiae dispositioni eiusque morbo adcommodatae esse debent. Quas quidem ex natura et temperamento hominis, gentilitiae dispositionis indole, iisque, quae, in paenitibus, aut noxia, aut utilia fuisse obseruauimus, medicus, ratiocinando, elicere debet.

§. LXXXIII.

Tutissima equidem esset curatio perfecta (§. 91.): sed, utram certa aliqua, minimeque aegrotantibus molesta, methodus haberetur,

haberetur, quaeque adeo cito, tuta iucundaque esset! At vero, licet solertes medici excogitauerint methodum haereditariis morbis medendi, quae tuta sit, certoque salutem, aegrotantibus promittat: tamen, quoniam diurna est, neque delicatis molibusque aegris grata ac iucunda esse potest; pauci sunt, qui leui temperantiae et sobrietatis impendio, sanitatem redimere velint.

§. LXXXVIIII.

Lactea cura, seu lactis meri dulcis usus, per aliquot menses, imo etiam annos, continuatus, magnopere quidem laudatur, quod nec absolum videtur. Quodsi enim lacte, tenerimi infantes, optime nutriuntur: tanto facilius, ab adultis, liquor hic concoquetur. Quid? quod etiam virtus quaedam medicamentosa inesse lacti videatur. Pars enim eius caseosa, incrassat humores nimis tenues; serum autem diluit ac resoluit tenacia, facileque angustissimos meatus quosque permeat. Quot et quantos effectus, lac vaccinum dulce, toto anno, cibi potusque loco, exhibitum, in arthritide, podagra, praestiterit: obseruationibus non paucis, iam olim demonstrauit DOLAEVS k) WALDSCHMIDIVS l), aliique post eos, nostris temporibus, medici clarissimi. Quodsi ergo, lac, in his morbis, tam effratis, tamque vetustis, debellandis, magnam habet vim et efficaciam: idem, quin in quibusdam morbis haereditariis, etiam praestare valeat, inficiandum non est; quamquam vix crediderim, a solo lactis usu, perfectam cuiuslibet morbi haereditarii curationem (§. 91.), exspectandam esse. Expertum id se retulit Ill. SCHMIDELIVS D. qui, toto biennio, solo lacte, podagricum, qui hoc malum a parentibus accepit, felici euentu, nutriendum iussit.

§. LXXXV.

Eundem autem effectum (§. 94.), an in omnibus morbis haereditariis, lac praestet, certo quidem nondum constat: mul-

F

tum

k) in tractatu, de furia podagrae lacte visita et mitigata.

l) disput, de cura lactis podagricorum solatio, et certo podagrae remedio.

XLII DE MORBIS HAEREDITARIIS

tum tamen boni, ab eius vsu legitimo, sperari posse, vel ab eius seri, vis eius acre temperandi, spissum dissoluendi, facilis concoctio, clare docent. In primis, si cruditates omnes, tempestiuue, blando purgante ex intestinorum canali, vacuentur; ne, impura nutriendo corpora, magis adhuc offendamus. Suadet etiam DOLAEVS, pro vario aegrotantium statu, animantia, quorum lac, aegris alimento et medicinae est, munda esse, herbisque medicatis, quae contraria virtute, morbi caussam destruere iuuent, alenda. Forte enim lac eiusmodi animantis maioris erit virtutis. Tum tamen inutilis futurus est lactis usus: quando haereditaria dispositio, in physica fibrarum atonia consistit, aut homo, temperamenti phlegmatici est.

§. LXXXVI.

Subitaneas magnasque corporis mutationes, pertinacissimos interdum morbos, vt, epilepsiam m), melancholiam n), maniam o), rabiem caninam p), sustulisse, experientia docuit. Id quoque, in morbis haereditariis, si non omnibus, quibusdam tamen, contingere posse videtur: quamquam hoc remedium, pro tuto certoque, habendum non sit. Confirmatur id STAHL q) obseruatione. Nam, cum vir gentilitia podagra afflictus, incendii vicinitate territus, ingentia onera, praeter consuetudinem, portasset: duabus subsequentibus annis, podagrīcī paroxysmis, non tentabatur amplius, quos ante, quotannis expertus est. Postea quidem reuersa est adhuc, fortasse ob admissum in vietu vel alium errorem, sed mitior, quam antea esse solebat.

§. LXXXVII.

Neque proorsus insolitum est, quasdam aegritudines, ac praesertim chronicas, aliis morbis, tolli, qui maximas, inducunt

m) BOERHAVE aphorism. de cognos. et curandis morbis §. 1080. et III. van SWIETEN Comment. T. III. p. m. 436. seqq Cel IUNCKERI dissert. de commotionibus patheticis corpori interdum proficuis.

n) III. van SWIETEN T. III. §. 1115.

o) Id. ibid. §. 1123.

p) Id. ibid. §. 1143. n. 3.

q) dissert. de haereditaria dispos. ad varios affectus §. 45.

cunt corporibus, mutationes. Fieri namque, hac ratione, potest, ut, expulsa prioris morbi materie, vi alterius morbi adscitum, aut epidemici, ipse ille morbus cesseret. Sic, epilepsiam, quartanae accessione, sanescere, HIPPOCRATES auctor est^{r).} Narrat quoque MARCELLVS DONATVS^{s)} historiam epileptici iuuenis, qui, a latronibus spoliatus, graui simul vulnere in capite accepto, epilepsia postea est liberatus. Icterum, febribus deleri, viceque versa, febres, ictero sanescere, GALENI, HIPPOCRATIS, aliorumque obseruationibus, perite solideque, ut opinor, PROSPER ALPINVS^{t)} demonstravit.

SCHOL. Ambigua equidem sunt remedia illa, quae magnas inducendo mutationes, diuturnos grauesque adfertus sustulisse dicuntur, (§. 96. 97.) ad perfectam morborum haereditariorum curationem. Verum tamen, ex fortuitis istis casibus, generalem quandam medendi legem et methodum, in curandis haereditariis morbis, fortasse non inutilem, cruce possumus.

§. LXXXVIII.

Existimo autem, in eo, omnem artem, radicitus haereditarios morbos extirpandi, sitam esse; ut, partim victu, aëris regionisque statu, partim vitae genere singulari et diaeta, a teneris vnguiculis, sensim inducatur status ille, qui est haereditariae dispositioni contrarius; atque adeo, ipsum corporis temperamentum, quoad eius fieri potest, in statum contrarium, mutetur. Quod quidem melius successorum confido, in tenera adhuc aetate, ubi haereditaria illa labes nondum inualuit, quam adulta. Recte igitur fecerint parentes; si gentilitia labe infectos se genuisse infantes arbitrantur; si liberos suos ita educauerint, ut haereditaria dispositio, in dies minuatur. Quod si rite factum fuerit: confido vehementer, ipsam etiam gentilitiam dispositio-

F 2

nem,

r) Epidem lib. VI.

s) Lib. II. cap. 4.

t) de præagienda vita et morte aegrotantium Lib. V. cap. 5. conf.

FRID. HOFMANNI fundimenta pathologiae generalis p. m. 73. 101.

XLIV DE MORBIS HAEREDITARIIS

nem, prorsus eliminari posse. Verissimum namque, in hoc quoque casu, OVIDII illud est:

*Principiis obsta, sero medicina paratur:
Cum mala, per longas, inualuere, moras.*

§. LXXXVIII.

Consuetudo, ipsa natura vulgo dicitur. Nec immerito. Quaecunque enim, repugnante habitu atq[ue] consuetudine, tumultuarie et cumulatim suscipiuntur: iis, offendit valetudinem, in vulgus notum est. Quodsi ergo, prauam consuetudinem deponere velis: eam mutationem, caue, subito suscias. Periculosa enim est. Ea, quae aduersus consuetudinem sunt, primo sint minima, quae sensim augeantur in dies: donec homo, sine molestia, taedioque, contrariam rem ferre adsuescat v). Hac ratione, pessimam quamque consuetudinem, sine ullo incommodo, exuere licet; imo ipsa quoque corporis, quin et animi temperamenta, haud mediocriter commutare x).

§. C.

Quod, si de longa atque inueterata consuetudine (§. 99.) valet: incredibile non est, idem quoque, in delenda, vel potius emendanda morbosa haereditaria dispositione, contingere posse. Sensim itaque tardeque, contrariis remedii, maximeque diaeticis, haereditaria morbos dispositio corrigi potest, adeoque morbi etiam haereditarii sanari, iis etiam, quae, in curatione prophylactica commemorauimus (§. 93.), diligenter obseruatis.

§. CI.

Quid in imperfecta gentilitiorum morborum curatione (§. 92.) obseruandum sit: sigillatim exponere, instituti ratio non requirit. Prout enim varium est haereditarii morbi ingenium, diversaque urgentium symptomatum indeoles: ita quoque variare debet medicus indicata atque indicationes. Veritati tamen, et optimae

v) BOERHAVE *institut. medic.* §. 1027.

x) STAHL *de mutatione temperamentorum.*

optimae medendi methodo conuenire videtur, in palliativa morborum haereditariorum curatione, iisdem uti remediis, quae ars, in similibus morbis adscititiis, commendat, ad mitigandam symptomatum vehementiam. Quo minus autem, in specialem atque vniuersalem haereditariorum morborum therapiam nosmet ipsos diffundamus: argumenti verttas nostrumque breuitatis studium prohibent; quum in primis non desint viri, qui hac in parte, philiatrorum desideriis, exesse satisfacere possint.

§. CII.

Equidem multa adhuc occurres video, quae aut obscura incertaque, aut manca et imperfecta, nonnulli iudicabunt: spero tamen, eorum me consequuturum indulgentiam, qui huius argumenti difficultatem perspiciunt. Operae quidem pretium esset, ut, propter argumenti similitudinem, in ipsum peccatum originale, quoad eius vis et effectus, in corpus etiam humanum, sanitatem, morbosque, semet extendit, inquirere, videreque, an variolae, quod quibusdam placere video, originariae animae labis praesentiam testentur. Sed, quia, quae in generatione hominis iuxta atque conceptione, contingent, oculatissima ingenia, perspicere nondum potuerunt: superuacanea nostra opera, ut arbitror, foret; si ex iis, quae incerta dubiaque sunt, veritatem elicere vellemus. Superest amplius nihil, quam, ut supremum NostRum MENSE, cuius nutu atque auspicio, hunc, qualisque sit, laborem, perficere licuit, animo venerer deuotissimo; menteque rogem supplici, velit, praesentibus hisce futurisque conatibus meis, benigne fauere, neque omnino plane irritos esse.



Nil opus est multis, dabit ars sua proemia, curis;
Ac sua merces erit. **T**e patria anhelat, opemque
Auxiliumque **T**uum implorat et anxia quaerit.
Praesta **T**e cunctis, hominemque Deumque, medendo,
Vtere sorte **T**ua; peragas feliciter artem.
Sis **T**ibi, sis patriae, decus immortale, quod optat

Scrib. Iena

A. R. S.

clccL VIII.

Cal. Oct.

*Viro Nobilissimo atque Doctissimo, in arte
salutari, summos honores ambienti, amico
suo, omni obseruantia colendo; seque in
amicitiam constantem commendat*

GABRIEL INSTITORIS MOSSOCZY
Gyöngyössio Hungarus
SS. Th. et Ph. St.

TV patiare vilem, redimitus tempora Phoebo,
Inter florentes hederam **T**ibi serpere lauros.
Gloria **T**e maneat, **T**ua laus nomenque percennet;
Atque **T**vis votis aequalia fata rependat.
Numen supremum **T**ua tum conata secundet.
I decus omne **T**vis; morbis patriamque leuato;
Atque **D**eus faxit, **T**ibi ut insanabile nil sit.

Scriberebam Iena

A. R. S.

clccL VIII.


II. Cal. Oct.

*Quod Clarissimo Doctorando, amico
suo aestumatissimo, pectore candi-
dissimo, precatur*

MICHAEL CYRILLI

Bartfa. Hungarus

S. S. Th. et Phil. Stud.



SPECTABILI AC MAGNIFICO DOMINO

GEORGIO DE RADVAN

HAEREDITARIO DOMINO

IN RADVAN SZKVBIN ET MALACHO ETC. ETC.

SACRAE CAESAREAE REGIAEQVE MAIESTATIS

CONSILIARIO INTIMO

NONNVLLORVM INCLYTORVM COMITATVVM

REGNI HVNGARIAE

ADSESSORI PRIMARIO

NEC NON

SPECTABILI AC MAGNIFICO DOMINO

LADISLAO DE RADVAN

HAEREDITARIO DOMINO

IN RADVAN SZKVBIN MALACHO ET KAZA CET.

QVORVNDAM INCLYTORVM COMITATVVM

REGNI HVNGARIAE

ADSESSORI PRIMARIO

FRATRIBVS GERMANIS



NON MINVS

ANTIQUITATE GENERIS

VIRTUTE

GLORIAQUE MAIORVM SPLENDIDISSIMI

QVAM

PIETATE IN DEVUM REGEMQVE

FIDE IN PATRIAM

AMORE DENIQVE IN ARTES ET LITTERAS

CLARISSIMIS

LITTERARVM PATRONIS ET MAECENATIBVS

INDVLGENTISSIMIS

DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM

MENTE DEVOTISSIMA

D. D.

A V C T O R.

SPECTABILES AC MAGNIFICI DOMINI

Non dubito plerosque fore, qui me audacem, nisi etiam impudicum iudicent, qui clarissimis nominibus VESTRIS, vilissimum scribendi, genus, quodue amplitudini VESTRAE, minus conuenire videtur, inscribere non dubitarim. Ac, fateor quidem, institutum meum, mihi met ipsi, paulo audacius videri; partim, quod argumentum hocce, magis fortasse a studiis, quam ingeniis VESTRIS abhorret; partim, quod, nulla adhuc ratione, VOBIS innotuitamen, quum pro comperto habeam, quanto studio, quanta liberalitate, artes et scientias Reipublicae utiles, alere, fouere et promouere studeatis; partum huncce ingenii mei, licet non omni ex parte, perfectum et absolutum, meliore iure, nemini, quam VOBIS MAGNIFICI DOMINI, me consecratum arbitrabar. Quis enim VOBIS, seu generis antiquitate, seu domi militiaeque praeclare gestorum gloria, siue sapientiae virtutisque amore, anteferendus est? Virtute et claris facinioribus, maiores VESTRI, illam nominis dignitatem, consequuti sunt, quam in VOBIS adhuc, cuncta Hungaria admiratur, quam ue vos, a maioribus haereditate acceptam, per tot saeculorum decursum, non modo conseruastis, verum etiam, multis accessionibus, plurimum auxistis;

ut ambiguum videatur, an illis, maior partae dignitatis, quam vobis, inter tot tantasque fluctuantis fortunae vicissitudines, retentae gloria conueniat. Sed, tanto lubentius, celebrandis laudibus VESTRIS, supersedebo; quanto certius constat, hanc vobis virtuosis gloriam, omnium bonorum consensu, clementique Augustissimorum Imperatorum et Diuorum Hungariae Regum iudicio, attributam esse. Patiamini igitur, SPECTABILES AC MAGNIFICI DOMINI, dissertationem hanc, clarissima nomina VESTRA, in fronte gerere, tantorumque nominum titulis superbire. Quam, etsi non eam esse sciam, quae amissimis nominibus VESTRIS satis sit conueniens: testis tamen erit publicus, VESTRI in litterarum studia amoris et beneficentiae. Quamobrem, opus hoc meum, GRATIOSI MAECENATES, serena, ut soletis, fronte, excipite, non munusculi huius pretium, quod sentio, quam sit exiguum, sed potius animum VESTRI obseruantissimum aestumantes. Id si impearo: minus me terrebunt eorum iudicia, quibus nil, nisi, quod nouitatem sapit, et a viris maximis nominis profectum est, dignum lectu videtur. Quod reliquum est, seruet vos deus o. m. vna cum splendidissima familia VESTRA, saluos atque incolumes, diutissime; addatque maiora in dies, splendoris, gloriae ac felicitatis incrementa. Scribebam Erlangae A. R. S. 1558.

III. Cal. Octobr.

¶
¶

Certa